# Ad Divum Sigismundum Poloniæ Regem, post partam de Moscis Victo=riam_Carmen_

114

Tandem fama nova, referens optata triumphos
Quartaque fœlicis gloria Martis adest
Hoc vis nempe tui voluit Rex Maxime fati
Ad Regum, quæ te protulit omne decus
Ut premeret fines, violato fœdere Moschus
Et raperet bipedum, quadrupedumque Genus
Ac fugeret captis nimium confusus ab oris
Et pœnas, aususque, perfidiæque daret
Ne tua prolixa langveret gloria pace
Nec foret incæptæ, postera fama minor
Chara quidem Pax est, propter quam Prælia fiunt,
Sed qui Regius est, marte paratur honor
Quem tua tum virtus, tua tum fortuna requirit
Et Dotes toto nullius orbe pares
Hoc ergo perfer, ut cum te cætera summum
Esse probant Regem, martia facta probant_

Ode